



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1635. usque ad annum 1643

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 9011888X**

§. 10. Puritanorum immanitas contra Catholicos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67406](#)

Scotiam itinere concordiae pacta iniis- **Sæc. XVII.**  
 set, & præcipua regni munia ac bene- **A. C. 1641.**  
 ficia juratis suis hostibus contulisset,  
 his tamen omnibus insuperhabitibus Cu-  
 ria inferior seposita omni Regiæ digni-  
 tatis reverentia iniquum foedus Scotti-  
 cum approbavit: ita nempe mentes  
 letifera rebellione depravatas nulla be-  
 nevolentia ex tempore sanat, tunc præ-  
 fertim, ubi profundius aversio in Se-  
 culariorum animos jam antehac Reli-  
 gionis oppositæ odio præconsumptos  
 descendit.

### §. X.

#### *Puritanorum immanitas contra Catholicos.*

Inter tot, tamque aceras vexationes *Rusworth*  
 Carolo Regi unica auxiliī spes repo- **tom. 4. p. 73.**  
 sita erat in fidelitate Catholicorum, **& seqq.**  
 præcipue Hibernorum; quamvis enim **Nelson t. I.**  
 hi Regem tanquam *supremum Ecclesiæ*  
*caput agnoscere recusarent, fidem ta-*  
*men suam eidem juramenti Religione*  
*obstrinxerunt, quo circa Rex Catholicorum*  
*fidelitatem compensaturus, illos*  
*singulari patrocinio dignabatur, necnon*  
*ad Patris sui exemplum severissimas le-*  
*ges contra illos latas exequi negligebat,*  
*atque ad Puritanorum invidiam*  
*illos in Aula benigne excipiebat: Post-*  
**li 4**                   **quam**

Sæc. XVII. quam vero Curiæ inferioris impudentia  
A. C. 1641. & violentiis Rex non jam Rex, sed vix

Regis larva, seu verius suorum subditorum mancipium evaserat, proin haud ultra Catholicos protegere poterat, tum vero hæretici indomitis furiis in Catholicos debacchari cæperant, & primo quidem ipsum Regem incusarunt, quod insuperhabitatis variis edictis Catholicos præsertim recusantes ex Londnenſi urbe non ejecerit, illos armis non spolarit, plures ob Religionem captos, mortique destinatos in libertatem afferuerit, & leges contra eos latas ad executionem deduci prohibuerit: postea omnes Catholicos militiæ Tribunos exauctorarunt, ceteros vero intra decem ab urbe Londinensi leucas prohibuerunt, in recusantes sine omni clementia inquiri. Goodmanum jesuitam aliosque sex Sacerdotes spreta Regis & Gallici Oratoris deprecatione, ea duntaxat ex culpa, quod Catholici effent, capite damnari, omnesque Sacerdotes ad pœnas ab Elisabetha Regina sanctas revocari præceperunt. Præterea severe inquisiverunt in Catholicos, qui ad Scoticum bellum Regi pecuniarum subfida contulerunt: insuper Patrem Philippum, qui Reginæ a confessionibus erat, & PP. Capuccinorum Vicarium iusserunt, ut aperte & sine restrictione

men-

mental ad librum Evangelii Puritani Sæc. XVII.  
& Calvinistici jurarent, an non conati A.C. 1641,  
fuerint Regem ad fidem Catholicam re-  
ducere, quod dum constanter renue-  
rent, turri Londinensi includebantur:  
Inhibent quoque Catholicis, ne ad Re-  
ginæ Sacellum, aut Legatorum Ora-  
toria confluenter: nec ipsi etiam Regi-  
næ pepercerunt, sed in eam, quod a Ca-  
tholicis pro Rege Marito suo subsidium  
pecuniarium collegisset, quæstionem  
institui decernant, tum ad ejus custo-  
diam armatum satellitum, cuius an-  
tea nullum extabat exemplum, con-  
stituunt, acerbiora adhuc in eam ten-  
taturi, nisi sub quæsito Filiam suam  
Mariam Guilielmo Orangii Principi de-  
sponsatam in Hollandiam deducendi ob-  
tentu, Londino excedens, securitati  
suæ consuluisset: Denique Hibernos tan-  
quam rebelles ferro, flammisque in-  
fletati sunt, eoquod Regem suum con-  
tra Anglorum Protestantium violentias  
defendere, seque, necnon Religionem  
Catholicam, quam ibidem Parlamen-  
tum Anglicum abolere decreverat, tueri  
moliti essent, inde vero Angli novam  
Regem suum vexandi, illumque populo  
suo exosum reddendi occasionem fum-  
psere, in vulgus spargentes, quod ipse  
plusquam decem Anglorum millium  
ab Hibernis interfectorum cædem pro-  
curasset,

I i 5

Sæc. XVII. curasset; nunquam enim, addebat ad  
A. C. 1641. majorem huic calumniæ fidem conciliandam, Hiberni Papistæ hanc fævitiam exercere præsumpsissent, nisi a Rege ipsis addictissimo instigati fuissent. Postea Westonum Vectis Insulæ Gubernatorem, eoquod religione Catholica esse crederetur, sua Praefectura spoliarunt, præcipios Angliæ Catholicos comprehendendi, PP. Capuccinorum Monasterium destrui, hosque Religiosos Regno expelli, ceterosque Sacerdotes, & Domesticos, qui Reginæ a servitiis erant, conscribi jusserant, denique a Principum exterorum Legatis, ut Sacerdotes in eorum Palatiis commorantes extraderent, petierunt, omnesque exteros, nisi Protestantes essent, Regno exulare jusserunt: ipsum quoque Regem a Scotia in Angliam reversum populus Whitehalliæ tot injuriis lacestivit, ut Hamptoncuriam profugere cogeretur, quin ibidem a continuis vexationibus & molestiis tutus esset: die enim prima Decembrii Curia inferioris Senatores prolixam admodum declarationem, in qua acerbissimis verbis Regis gesta & regimen carperunt, in vulgus eo fine sparvere, ut populum acrius adhuc in Regem exacerbarent.

§. XI.